

DEO OPTIMO MAXIMO
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA*

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS mane discutienda in Scholis Medicorum, die Martis decima-septima mensis Martii, anno Domini M. DCC. LXXVIII.

M. THEOBALDO NIZON,
Doctore Medico, Præside.

An Satius sit Catheterem in media suæ curvaturæ parte foraminulo utrinque pertundi, quam versus apicem?

I.



BI suppressa mictio, ibi & admovenda plerumque Chirurgi manus. Undequaque oppugnatur vesica; nunc genuinus urinæ tentatur exitus, nunc aliena lotio sternitur via. Cæteræ methodi rariores, prima frequentior. Ex quolibet metallo, sæpius ex argento, paratur fistula ad medietatem usque recta, cæterum vero recurva. Versus apicem duabus fissuris utrinque laceratur, quibus effluere queant ægri pœnæ. Per urethræ sinum inditur ista fistula oleo prius inuncta, & adusque vesicæ interiora, variis nixibus & tentaminibus, quantum potis est solertissime ducitur. Superatis obicibus, per artificialem ductum pleno rivo profluunt urinæ. Pro re nata catheter extrahitur, vel in vesica relinquitur; identidem tamen

* M. E. C. BOURRU, Autore 1766.

educendus & e fordibus eluendus. Hucufque ratio medendi optima, mendofa vero inftrumenti fabrica. Cathetere enim mox defcripto exhauriuntur quidem limpida, fed lutulenta remanent : leviores proliciuntur lotii partes, gravioribus nectuntur moræ : compefcitur primus feditionis motus, belli fomes non omnino extinguitur.

I I.

DUABUS de caufis *fpecillum tubulatum* immittitur in vefica : vel ut vacua repleatur, vel quod vulgatius, ut plena vacuetur. Ad primum pertinent injectiones, quæ quidem quovis tubulo fieri poffunt; fecundum fpectat urinæ eductio, quæ non itidem omni indifcriminatim cathetere perficitur. Quo modo etenim aquæ lutulentæ, ita & urina. In hac ficut & in cœteris liquoribus, levia fuftentatui funt, gravia demerfui. Sic in matulis femper deprehendere eft fedimentum arenofum; fi ægrotantis renes vel organa uropea aliquo morbo laborent, non raro quiddam puriforme. Res ita fe habent in vefica urinaria & potiffimum in his quibus immiffio catheteris vertitur folatio. Ifti quotis diebus defides, in lecto refupini cubantes, fitum vix mutare queunt, unde & facilius fedimenta infimam partem petere. Maximi tamen momenti iftas fordes una cum lotio effluere, faltem fi ægrum a plurimis fymptomatibus immunem, aliorumve morborum purum præftare velis.

I I I.

FIGURAM infra delineatam intuenti, prima fronte patebit, his omnibus minime profpicere vulgarem fiftulam. 1.° Liquet cathetere verfus apicem utrinque fiffo, veficam omnino vacuari non poffe. 2.° Non raro obfervare eft apicem catheteris immiffi, ufque ad fundum veficæ pertingere, ibi quamdam irritationem procreare, qua quidem irritatione fibrarum mufcularium veficæ oritur contractio, rotatim involvitur apex fiftulæ, occluduntur fiffuræ, ac tunc ne quidem una lotii gutta elici. His in circumftantiis, catheterem pauxillum retrahunt Chirurgi & a fundo veficæ amovent, ftatimque foras protruditur urina. 3.° Tandem nemo eft qui non fentiat tubulo vulgari nullatenus exhauriri poffe partes lutulentas, puriformes, arenofas, quæ infra fiffuras pofitæ, ideo exire nequeunt, fed in vefica commorare iterum coguntur, donec fuperata prima morbi caufa, retracto cathetere, per folitum iter una cum lotio viam facere poffint.

I V.

QUÆ igitur modo recenfuimus, nobis meliora fuaferunt. Catheter jam non amplius perforetur verfus apicem, fed in media fuæ curvaturæ parte. Sic omnis periculi fuccidetur metus. Nulla jam fibrarum veficæ irritatio aut contractio iter arte paratum occludere valebit : nullæ lotii partes five turbidæ, five puriformes in vefica remoram pati. Et quidem nefcimus quo fato catheterem verfus apicem primi Chirurgi findere tentarunt. Nonne ultro occurrebat noftrum argumentum? Nonne ars æmula naturæ? Optimane hominum parens Natura iter fulcavit urinis verfus fundum vel medias veficæ partes? An qui de exhauriendo cado cogitant, per fundum cadi immittunt tubulum recurvum & ad apicem foratum? Minime quidem. Ifti partem vafis decliviorem acu petunt, ibique cannulam adaptant, quo artificio facillime tota capacitas una vice exficcetur. Similia igitur nunc facito : & quam vobis monftravit in exoneranda vefica natura viam, hanc in lotio educendo imitemini.

V.

NIHIL eſt quod ſibilent obtrectatores adverſus noſtram concluſionem. Quod igitur ſupereſt temporis, illud impendemus in perpendendis quibuſdam quæ ad argumentum attinent.

I.° Ex variis catheteribus iſte potiſſimum nobis arridet cujus figuram infra delineandam curavimus. Hic ad inſtar litteræ *S* figuratur; & hæc eſt ratio cur iſte præ cæteris palmam obtinere videatur. Ubi cathetere *ad medietatem uſque recto* utuntur Chirurgi, raro perpeti tractu fertur urina in matulam: ſed ut plurimum & imprimis ſi reſupinus æger in ſponda jaceat, & ſub fine operationis, ſecundum poſteriorem penis partem & perinæum deſtillat, ægri nates irrigat, totumque lectum conſpurcat. Hujus ſpurcitiei occaſio præcidetur noſtro inſtrumento, uti unicuique patet.

II.° Ne in immittendo tubulo noſtro ex rugis urethræ (quod quidem frequentius in ſenibus) quamdam remoram experiatur Chirurgus, dum iſtas rugas fiſſuræ catheteris admittere quirent, in vicem ſtyli metallici, ſtylum ex balæna fictum anteponendum eſſe opinamur. Hæc virga balænacea totam fiſtulæ cavitatem ſedulo adimpleat; ora vero vel labia fiſſurarum ſint lævia, & apprime cum ſtylo connectantur ac jungantur. Et hæc ſufficiant de cathetere noſtro. Si quæ omiſimus, facile ſupplebit figuræ inſpectio.

Ergo Satius eſt Catheterem in media ſuæ curvaturæ parte foraminulo utrinque pertundi, quam verſus apicem.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Maria-Zorobabel MUNIER, *Regis in Coloniis Orientalibus nuper Medicus, Domus Regiæ Invalidorum Ducum & Militum Medicus a Rege deſignatus.*

M. Deodatus JEANROY, *Bibliothecæ Facultatis Præfectus deſignatus, e Regia Societate Medica Pariſienſi pro Epidemiis inſtituta.*

M. Claudius-Franciſcus DUCHANOY.

M. Joannes-Baptiſta BAIGNERES.

M. Alphonſius-Vincentius-Ludovicus-Antonius LE ROI.

M. Joannes-Matthæus DE FRASNE, *Rei Herbariæ Profeſſor deſignatus.*


M. Benjaminus-Ludovicus LUCAS DE LAUREMBERT.

M. Ludovicus-Guillelmus LE MONNIER, *Conſiliarius Medicus Regis ordinarius Primarius, Regiarum Pariſienſis, Londinenſis ac Berolinenſis Academiarum Socius & in Horto Regio Botanices Profeſſor ac Demonſtrator.*

M. Exuperius-Joſephus BERTIN, *Supremi Valachiæ & Moldaviæ Principis Medicus, Antiquus Regis Exercituum & Caſtrorum Medicus Primarius, necnon e Regia Scientiarum Academia.*

Proponebat Pariſiis, LUDOVICUS-CAROLUS HALLOT, Lingonenſis, Saluberrimæ Facultatis Pariſienſis Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1778.
A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1778.



EXPLICATIO TABULÆ.

Figura hic appoſita deſignat ſectionem veſicæ, proſtatæ, urethræ & glandis, cum Catheтere noſtro his in partibus immiſſo.

A. B. Catheter ad mentem noſtram figuratus, olim in A. ſeu in apice foramine utrinque donatus, nunc vero in C perforandus. B. eſt roſtrum inſtrumenti.

D. E. F. veſica ex latere ſecta, cujus F. fundus.

G. Glans penis.

P. Proſtata.

U U. Indicant urethræ tramitem.

Lineola *a*, *b*, expreſſa fuit, ut pateret cathetere vulgari nuſquam poſſe exhauriri partes urinæ graviores, quæ nimirum infra fiſſuras catheteris ſubſident : noſtro autem inſtrumento perquam facillime exſiccari omnino poſſe veſicam.